

# USUS ADVERSUS DOCTRINAM? GRAMMATICA IN SCHOLA ALTERIUS LINGUAE. GRAMMATICA LATINE TRADITA

MARÍA LUISA AGUILAR GARCÍA

[mlaguilargarcia@hotmail.com](mailto:mlaguilargarcia@hotmail.com)

Collegium Latinitatis

## Summarium

Finis, meta, scopus praecipuus scholae linguae Latinae eo hactenus singulariter spectavit, ut essent discipuli non solum rei grammaticae consciit sed bene periti atque in ea exercitati. Huc voluntas, huc iudicium et ratio intendebant, primum legum institutionis, deinde ipsorum praceptorum. Nunc autem novi sunt termini constituti ad usum linguae simul quam ad formam eius pertinentes, prioribus illis consiliis grammaticis non omissis, immo adstantibus et constantibus. In hoc igitur praceptores periclitantur, ut tempus, ut attentio dissentium, ut exercitamenta scholarum distribuant et disponant, ut denique *cuique*, grammaticae et usui, *suum* dent. Quo prorsus hanc symbolam referam: post exemplum antiquorum primum illatum, ex quo praesagitur iam doctrina grammaticae et usus linguae quam dissimiliter in comparatione linguarum valeant, hoc primum monstrabitur, quae et quales sint beneficia —vel *cognitiones*— quae ex utraque re —grammatica atque usu— comparari possunt; id deinde attingetur, doctrina et usus ad curricula studiorum, quae nunc sunt, quatenus convenient et accommodentur; illud postremo praebebitur, ut praceptores utramque rem et grammaticam et usum in unum componant et coniungant emolumento dissentium, tribus exemplis allatis exercitationum instar.

## Claves

*Comparatio linguarum, intentio informam, copia linguae data, cognitio de lingua, cognitio linguae, ratio studiorum.*

## Abstract

The main objective of most Latin *syllabi* and curricula has so far to provide the student with high grammatical and syntactic knowledge, that is, to attend more to the form than to the use of the language. To these purely grammatical objectives have been added in recent times, as we will see, new objectives that focus on the natural skills of the language in terms of understanding and expression, without omitting the formal aspects of the language. The challenge of the current Latin teachers is in the correct and appropriate distribution of time and tasks for both purposes, form and use, and this is the issue that this article aims at: after taking the example of the

ancients and what appears to be an outline of Varro's vision of language learning, we will first explain which are the knowledges gained from both form and use; later, it will be shown how form and use appear already combined in some *syllabi*; finally, an example of how to attend form and use in the same task will be offered.

#### Key words

*Second Language Acquisition, focus on form, input, explicit and implicit knowledge of language, syllabus.*

#### 1. PRAEFATIO: ANTIQUI LOQUUNTUR

Marcus Terentius Varro in libris quos scripsit de lingua Latina originem ac causas vocabulorum ample explicit atque fundamenta ac principia diligenter exploravit quae ortui ac initio vocabulorum sibi subesse viderentur. De qua re ille tam copiose quam accurate dixit, nihil praeteriens, nihil negligens quod huic provinciae linguae aliquid luminis proferret. Neque iure neque merito dicetur obscure vel minus manifeste locutus esse, cum suas illustraverit coniecturas plus duobus milibus exemplorum, ex quibus licet non solum consilia *scientifica* rimari —et impugnare—, sed etiam quandam dulcedinem ac singularem voluptatem suis litteris insitam delibare quae, si minus ab eius stylo —qui rudis saepe ac inconditus habetur—, ab imaginibus et ab exemplaribus abundanter profluunt atque sunt documento ac testimonio Varronis humanissimae mentis ac praestantis in genus humanum fidei: etiam Varronis paginae *hominem sapient*<sup>1</sup>.

Legentibus vero harum rerum commemoratio tam supervacanea et innecessaria videbitur quam movilis ac iudicio hominum moribusque saeculi obnoxia. Absit scrupulus: haec symbola non destinat Varronem ut conditorem sive auctorem doctrinae grammaticae hodiernae proferre<sup>2</sup>, neque eius singularem humanitatem litteris insignire, sed cogitationes eius selectas in usum ac exemplum adhibere ut, tanta auctoritate collecta, hanc de scientia ac doctrina linguarum nostram quaestionem inceptemus. Quoniam nobis in hanc provinciam studiorum incumbentibus vel opportunus —mire dictum— Varro apparuit, cum

---

<sup>1</sup> Hic referimus ad titulum symbolae quam de Varronis singulari humanitate scripsimus (c. n. *Hominem lingua sapit*) ex incepto Universitatis Masachusettanae in honorem profestricis Iacobae Carlon. Quae edetur brevi in lucem in actis periodicis nomine *New England Classical Journal*.

<sup>2</sup> Varronis libri ad fundamenta hodiernae doctrinae grammaticae quantum conduxit demonstravit TAYLOR (1975) satis superque.

in nonnullis capitibus suorum librorum aliquot attulerit meditationes quae in dissentiam linguarum<sup>3</sup> vergere videntur atque hanc novissimam provinciam studiorum, quamvis leviter et timide, attingere atque nostram hodiernam mentem de varia ac diversa utilitate usus linguae et doctrinae iam praesagire.

Quod ut demonstremus, nonnulla Varronis excerpta revocabimus quae ad classes vel genera vocabulorum spectant:

— Affirmat Varro duo esse omnino genera vocabulorum secundum originem: altera ex parte sunt verba “primigenia”, id est, “quod non sunt ab aliquo verbo sed suas habent radices” (Varr. *ling.* 6, 37); altera ex parte sunt verba “declinata” sive “propagata” (Varr. *ling.* 8, 2; 9, 38; 9, 45). Inter verba primiginia profert Varro exempla ut *lego*, *scribo*, *sto*, *sedeo*; ad propagata pertinerent verba ut *lector*, *lectus* etc.

— Verba primigenia, ait ille, “esse voluerunt quam paucissima, quo citius ediscere possint” (Varr. *ling.* 8, 5); declinata vero nomina, sive propagata, “quam plurima, quo facilius omnes quibus ad usum opus esset, dicerent” (Varr. *ling.* 8, 5).

— Quod attinet ad notitiam utriusque generis verborum, id est, ad modum quo homines utramque notitiam verborum acquirunt, illud genus vocabulorum primigeniorum “historia” ab hominibus comparari dicitur, nam “nisi discendo”, ait Varro, “enim aliter non pervenit ad nos”; in altero genere vocabulorum autem, scilicet in genere vocabulorum declinatorum, dicitur “ars” valere, quae ars, pergit Varro, “paucis praeceptis” constabit; quae pracepta quidem “brevia” erunt, nam “qua enim ratione in uno vocabulo declinare didiceris, in infinito numero nominum uti possis: itaque novis nominibus allatis in consuetudinem sine dubitatione eorum declinatus statim omnis dicit populus” (Varr. *ling.* 8, 6).

Quae lucubrationes Varronis “litterae prosecutae” (Varr. *ling.* 7, 1) si recte perpenduntur, quo pertinent nisi ad institutionem ac doctrinam linguae? Et cum disiungat Varro ea vocabula quae in linguis discenda sunt *per historiam* ab iis quae *artem* postulant; idem cum affirmet *declinata* verba posse facile aggredi atque super iis *pracepta* non solum

---

<sup>3</sup> Discentia aut comparatio linguarum erit posthac id quod Anglice dicitur SLA —*Second Language Acquisition*—, Hispanice ASL —Adquisición de Segundas Lenguas—, Latine appellavimus CAL —*Comparatio Aliarum Linguarum*.

pauca esse sed brevia quoque ac talia quae discentes adducant ad usum — “in consuetudinem” — eius cum firmum — “sine dubitatione” — tum citum — “statim” —, quid docet, nisi rationem ac viam quibus homines linguas discunt? Nonne inter has Varronis meditationes multa latuerunt studiosis, non solum non inconsiderata sed salutaria quidem atque in linguam eiusque institutionem incumbentibus grata acceptaque? In quam institutionem intendere est primum consilium huius symbolae.

At pergit Varro de hisce rebus eloqui atque nunc de mutationibus in vocabulis disputat, conferens eas “flexuras” vocabulorum (Varr. *ling.* 10, 28) quae ita eveniunt ut “cuiusque tulit voluntas” (Varr. *ling.* 8, 9), ab iis quae “non a singulorum voluntate sed a communi consensu” (Varr. *ling.* 8, 9) succedunt, id est:

— Mutationes vocabulorum, vel *declinatus*, dicit Varro esse “volutarios, quibus homines vocabula imposuerunt rebus quaedam, ut a Romulo Roma”;

— *Declinatus* autem vocat “naturales, ut ab impositis vocabulis quae inclinantur in tempora aut in casus, ut a Romulo, Romuli, Romulum et a dico dicebam dixeram” (Varr. *ling.* 9, 27).

Ad quas mutationes, scilicet ad naturales, “decurrunt sine doctrina” (Varr. *ling.* 10,3), nam “etiam novicii servi empti in magna familia cito omnium conservorum nomina recto casu accepto in reliquos declinant”. Declinatus igitur, vel flexura vocabulorum Latinorum, quae dicta est prius arte ac praecepsis paucis brevibusque egere, dicitur nunc posse etiam *sine doctrina* nasci ac evenire, immo posse a vulgo imperitorum, ab illitteratis hominibus minimeque eruditis naturaliter comparari. Quibus consiliis revocatis atque ad hodiernas rationes institutionis linguae collatis, id licet coniectura assequi, Varronem in dissentia, comparatione ac peritia linguarum haud parum momenti doctrinae abstulisse, multa autem illis quasi naturalibus viribus tribuisse quae ad usum et ad artem prolabuntur, quae non ex doctrina neque ex historia proficiscuntur, quae denique nisi per consuetudinem nasci non possunt.

Qui quidem de pondere ac momento doctrinae ad linguam comparandam elocutus rem videtur acu tetigisse atque viam nobis mirifice munivisse ad hanc quaestionem inquirendam, quandoquidem, ut rectissime monuit Neupanne (2009: 111), disputatio de optima via ad

linguam docendam discendamque videtur et fuisse antea et esse etiam nostra aetate disputatio de momento ac pondere grammaticae in schola.

## 2. RECENTIORES RESPONDENT

Varro quidem, studiosissimus atque diligentissimus pvesterigator, cum omnium rerum tum speciatim linguae, eius doctrinam, ut patet, non omisit totam, sed suas opiniones super hisce quaestionibus quoque informavit atque suum locum cuique dedit, et doctrinae et usui, in linguis discendis<sup>4</sup>. Haec tamen is neque large explicuit, ut mos eius fuit, crebris pvesterigationibus inchoatis atque absolutis, neque super ea quaestione exempla sprevit, ut de aliis cogitationibus, cumulate. Qua re, etsi fuit nobis hucusque incitamento, testimonio, fidei, eius vestigiis vero, in eo quod ad comparationem linguarum attinet, longius insistere nequimus.

Ad recentiores igitur, immo ad recentissimos avolabimus<sup>5</sup> qui ad doctrinam linguarum animum assidue applicuerunt atque quasi novam provinciam studiorum academicorum condiderunt quae nomine Anglico SLA —*Second Language Acquisition*— agnoscitur quamque nos Latine CAL appellavimus —*Comparatio<sup>6</sup> Alterius Linguae*, vel *Aliarum Linguarum*, earum scilicet quae non sunt nobis cum lacte materno comparatae—: hoc e fonte omnis nostra doctrina manavit, ab his principiis profecta est. In qua provincia studiorum captavit ab initio locum principem atque etiam nunc eum tenet haec disceptatio de opportunitate grammaticae in schola alterius linguae, id est: quantum

<sup>4</sup> Quae vero seorsum saepe et quasi ipsa lingua litterisque necnon earum pvesterigatione abalienata et a doctis hominibus derelicta apparent —quam exiguum curam artis docendi habeant curricula quae vigent in universitatibus studiorum deplorat vehementer Carbonell (2010: 88); similiter Alcalde-Diosdado (2000: 95, 98).

<sup>5</sup> Supersedimus quoque ea quae ad doctrinam linguarum apud auctores Mediae Aetatis atque Aetatis Renatarum Artium luculenter leguntur, non quod eorum consilia et praecepta non vigeant aut valeant etiam nostris temporibus, ut constat apud omnes, sed quia ea proposuerunt ex consuetudine ac experientia rerum magis quam ex pvesterigationibus scientificis ad mentem hominum spectantibus, ut sunt pleraque coniecturae quae sub provincia CAL —*Comparatio Aliarum Linguarum*— inveniri possunt.

<sup>6</sup> Comparatio hic valet ‘actum alicuius rei comparandae’: componitur a *cum* et *parare* atque est “apparatus, praeparatio, acquisitio, inquisitio, quae fit ad certum aliquem finem” (<<http://lexica.linguax.com/forc2.php?searchedLG=comparatio>>), haud vero ‘collatio’.

est momenti intentionem discipulorum in formam<sup>7</sup> verborum dirigere? Quantum valet structuras, morphemata, exceptiones in declinatu articulate atque expresse docere et discere? Quae beneficia, qui fructus —si qui sunt— ex hac opera ac labore capi possunt? Quantum potest dominatus illarum rerum —structurarum, morphematum, exceptionum— in usu linguae? Summatim: interestne, pertinetne ad rem, iuvatne discentes in solas formas linguae diligenter intendere ac grammaticae studere?

Si Van Patten (2015: 48) sequimur, quattuor sunt super hac re opiniones studiosorum qui nunc sunt: *non est emolumentum in intentione in formam* (A); *emolumenta a doctrina grammatica illata sunt constricta*, id est, quibusdam certis condicionibus inclusa (B); *est emolumentum in intentione in formam* (C); *intentio in formam est necessaria ad comparationem alterius linguae* (D).

#### A. Non est emolumentum in intentione in formam

Auctoribus huius coniecturae una est atque sola via ad comparationem linguae: documenta, monumenta, exemplaria verae linguae accipere quam plurima<sup>8</sup>, haud descriptiones vel regulas grammaticas praebere in quas discentes animum intendant. Talibus testimoniiis allatis, ingenium humanum poterit ipsam linguam eiusque elementa quam verissime experiri eaque sponte ac ultro primum imprimere menti aut cerebro —iis scilicet regionibus cerebri quae linguas curant, quae elementa linguarum ordinant atque accommodant—, deinde ea proferre ac naturaliter uti.

Huius coniecturae fautor eximus Krashen (1982: 10) stetit, cui aliud erat *linguam discere*, aliud *linguam comparare*<sup>9</sup>:

— **Linguam discere** est operam collocare in formis linguae — in grammaticam— easque sedulo, diligenter, accurate attendere per pracepta, regulas atque explicaciones linguae. Discentes linguae sunt

<sup>7</sup> ‘Intentio in formam’, quam Anglice appellant *Focus on form*, hispanice *Enfoque en la forma*, plura ac varia specimina habere potest, inter quos doctrina grammaticae, id est, doctrina regularum ac praceptorum numerari potest.

<sup>8</sup> *Input*, sive copia linguae data, id est, omnia testimonia, documenta, exempla verae linguae quae in schola traduntur, cum scripta tum enarrata. *Input* debet esse aptatum ingenio discipulorum, atque studium eorum movere (Krashen 1982: 62).

<sup>9</sup> Rursus, *comparare* hic valet *acquirere*.

conscii ac participes suae dissentiae, ex qua cura et labore *cognitionem de lingua* habent, scilicet cognitionem regularum ac praceptorum quae linguam describunt.

**Exemplum:** plerique nostrum discipulorum possunt flexuras primae declinationis facile atque sine haesitatione proferre. Qui est accusativus vocabuli *insula?* *Insulam*, respondebunt, et quidem recte: tenent illam notitiam sive *cognitionem de lingua*.

Haec notitia sive *cognitio de lingua* est non solum explicita, id est, conscientia atque quae a dissentibus enarrari potest, utpote commemoratio regularum et praceptorum, sed adventicia quoque et assumpta, quippe quae extrinsecus proveniat atque cum doceri tum disci possit. Eius utilitas vero constricta apparet, nam viget et valet tantummodo in usu linguae qui *ex praeparato* evenit, id est, post aliquam meditationem et non extempore, et eminet praesertim in eo genere quaestionum vel exercitiorum quae proxima sunt ei supra allato, in quibus discentes rogata *de lingua* solvere debent: in iis condicionibus enim sunt dissentibus copia ac tempus cogitandi atque formam linguae rectam memoriter evocandi.

— **Linguam comparare** potest fieri ipsis dissentibus insciis, immo etiam negligentibus. Ad eam pertinet *cognitio linguae* quae neque patet dissentibus, neque enarrari nec proferri potest quia non habet formam praecepsi vel regulae. Est *cognitio linguae*, haud *de lingua*, quasi menti nostrae ‘insita’, quae inhaeret ingenio et in eo ingeneratur sed non per intentionem in linguae formam neque per doctrinam grammaticae; quae non opera conscientia ac labore apprehenditur, nec docetur nec discitur sed sponte, naturaliter dissentibus subvenit per consuetudinem linguae, id est, per vera commercia ac verum usum linguae. Eius utilitas latius patet cum in usu linguae extemporalis vel praesenti polleat.

**Exemplum:** omnes praceptores linguae Latinae belle didicimus paradigmata linguae eaque et tradere et docere et recitare possumus nulla animi contentione. Cum vero ad sermonem praesentem atque extemporaneum venimus, menda frequentia admittimus quae nobis videntur vel absurdia, cum videamur regulas linguae nobis vel familiares non observare. Quae menda vero si parumper perpendimus atque meditamus statim emendamus, quod copia est atque tempus nostri nuntii emendandi. Sic possumus proferre \**Ego discit linguam Latinam*, et post modo *Ego disco linguam Latinam*. Eam *cognitionem de lingua*,

explicitam atque adventiciam abundanter tenemus, *cognitione linguae* autem, insita atque inconscia, saepius caremus.

Idem accidet si ad lectionem venerimus: nam quae expedite ac sine animi contentione non intellexerimus —scilicet quae nostra *cognitio linguae* non praestat—, ea commemoratione regularum ac praceptorum extricabimus, *cognitione de lingua* utentes.

Apud vehementiores studiosos ac fautores huius coniecturae quae disiungit cognitionem *de lingua*, id est, explicitam, adventiciam ac conscientiam, ab cognitione *linguae* insita, id est, quae naturaliter dignitur, nullum exstat vinculum<sup>10</sup> vel nexus inter *cognitionem de lingua* et *cognitionem linguae*, sed separatim omnino alterutra exsistit dicitur neque inter se colloqui neve quicquam communicare. Id est, cognitio *de lingua* non est primus gradus ad *cognitionem linguae*, non devenit in eam neque est eius fundamentum. Intentio in formam igitur, quae in doctrina grammaticae constare solet, parum expedit dissentibus cum omnis eius opportunitas ac commoditas in edendis, emendandis, extrincicandis nuntiis constet, non in usu expedito linguae dissentibus obveniat. Ceterum, doctrina hic pertinet ad formas ac structuras linguae —morphologiam ac syntaxin—, haud vero ad vocabula<sup>11</sup>, genus vel mores dicendi<sup>12</sup>, quae res quidem et doceri et disci possunt (Ortega 2013: 240).

## B. Emolumenta a doctrina grammaticae illata sunt constricta

Plerique studiosi comparationis linguarum sibi habent persuasum ac perspectum exstare in omnibus linguis ordinem naturalem qui ipsam comparationem linguae regit ac moderatur: exstat enim cuique linguae dispositio quasi propria vel innata suorum elementorum —scilicet morphemata, structurae aliaeque proprietates— quam discentes debent necessario percurrere tamquam iter sive cursus in comparatione cuiusque linguae (Pienemann 2007: 138)<sup>13</sup>. Exemplum huius coniecturae magnopere vexatum ac decantatum ad sermonem Anglicum pertinet

<sup>10</sup> De hoc vinculo vel necessitudine longe ac clare disserunt Ellis et Natschuk (2014: 12-3). Confer etiam Gass et Selinker (2008: 246).

<sup>11</sup> Gass et Selinker (2008: 449).

<sup>12</sup> Id est, “vocabulary, stylistic choices and pragmatic preferences” (Ortega 2013: 240).

<sup>13</sup> Processability theory (Pienemann 2007: 137).

atque ad modum quo discentes huius linguae ‘interrogare’ discant, id est, in rogatis ponendis quos gradus linguae percurrent discentes atque qui ordo naturalis cognitioni huius structurae subsit (Pienemann 2007: 138): nam discentes ab immaturis ac rudibus enuntiatibus proficiscuntur —*He live here?*— usque adeo ut emendatissimis formulis utantur cum verbis auxiliaribus, correptionibus litterarum et aliis proprietatibus linguae:

**Gradus I** → *He live here?*

**Gradus II** → *Where he is?*

**Gradus III** → *Where is he?*

**Gradus IV** → *Where has he been?*

Progressus igitur in qualibet lingua comparanda quibus certis gradibus articulati apparent, cuidam certo ordini vel *hierarchiae* (Pienemann 2007: 138) obligantur secundum quam rudimenta linguae a discentibus gradatim atque suo tempore comparantur. Rursus: repertorium grammaticae quod discentes gradatim sibi faciunt certo cuidam ordini ac *hierarchiae*, certis gradibus subiectum est. In exemplo supra allato, illi diversi gradus linguae ferunt prae se varia responsa eidem rei, id est, ‘rogata proponere in lingua Anglica’ (Pienemann 2007: 138). Singuli gradus comparationis suam propriam speciem, suas proprias regulas linguae habent atque in omni copia linguae quae emittitur<sup>14</sup> eas ostendunt ac demonstrant.

Itaque praeceptores cuiusvis linguae, si huic conjecturae credimus, providere possunt quem cursum habitura ac transitura sit cognitio linguae (Pienemann 2007: 138) apud discentes. Qua notitia habita, oportebat curricula studiorum informare ac statuere, et non inversa vice agere, id est, curricula studiorum statuere ut cuiusque tulit opinio:

Pienemann (2007: 138):

Curriculum/ratio linguae **naturale**: elementa vel proprietates linguae naturaliter disponuntur

Curriculum/ratio **studiorum**: elementa vel proprietates linguae artificiose disponuntur

Doctrina linguae necnon doctrina grammaticae tanto magis succendent quanto curriculum studiorum magis observaverit curriculum

<sup>14</sup> *Output*, id est, exemplaria linguae a discentibus prolata.

naturale. Sed cautio est ne in omnibus linguis idem gradus ac ordo elementorum provideatur, nam singulae linguae suos gradus et ordinem ostendunt (Pienemann 2007: 149). In lingua Latina, monet Carlon (2013: 7), neque harum rerum fundamenta, ut debuit, posita sunt ab ullo neque ordo ac natura huius rei, ut res postulat, explicita, itaque ordo comparationis atque gradus per quos formae linguae Latinae comparantur sunt etiam integri neque ad lucernam studiosorum explicati.

Quod ad doctrinam linguae attinet, etiam hoc in animum inducendum est, quod licet cognitio linguae apud discentes progrediatur atque gradatim ex impolitis testimoniis ad veram et genuinam speciem linguae accedat, licet sit haec *hierarchia* sive ordo graduum in plerisque linguis notus ac exploratus, tamen ea *hierarchia*, hic ordo neque immutari neque omitti neque praetermitti potest. Id est, omnes discentes eosdem gradus serius ocius, diutius brevius peragunt et percurrunt, neque eorum ordinem potest ipsa doctrina linguae commutare. Proinde intentio in formam sive doctrina grammaticae evadet irrita, vana, inanis nisi opportune acciderit, scilicet eo ipso tempore ac occasione quam ipse ordo comparationis postulaverit, cum priores gradus cuiusvis elementi linguae —morphematis vel structurae— fixi ac constabiliti apparent. Itaque, hoc unum collocabit doctrinam grammaticae in tuto eamque utilem reddet: si peritia discentium attente perpenditur ipsique prompti parati instructi existimantur ad insequentes gradus ingrediendos (Ortega 2013: 241).

### C. Est emolumen tum in intentione ad formam

Documentis, testimoniis, monumentis linguae involvi veris, germanis, certis atque quam plurimis, cum sit necessarium discentibus, tamen non videtur esse satis. Haec est existimatio multorum studiosorum quibus comparatio linguae e duabus rebus ex necessitate constat, cum ex copia linguae assidue data —*input*— tum ex intentione in formam, id est, ex doctrina grammaticae. Intentio in formam vero, id est, doctrina proprietatum linguae, etsi suum pondus ac momentum in comparatione linguae sibi adrogabit, habebit tamen secundas in hac re partes: id est, doctrina grammaticae poterit —etenim eo destinat— comparationem linguae faciliorem reddere, sed numquam poterit eam universam parere (Ortega 2013: 240). Doctrina grammaticae igitur non erit *causa* comparationis linguae, sed *socia*, *fautrix*, *adiutrix*

huius facultatis comparanda, quasi utilitas et commodum. Praeterea, doctrina tanto magis comparationem linguae fovebit quanto aptioribus ac opportunioribus exercitationibus locupletetur (Ortega 2013: 243)<sup>15</sup>. Ceterum, haec intentio in formam eo minus necessaria ac utilis evadet quo adsiduor et accommodatior copia linguae –*input*– data erit, praesertim apud discentes minoris aetatis atque apud eos qui ab illa altera lingua in quam incumbunt undecumque involvuntur (Dekeyser 2007: 104).

Proinde summum fundamentum comparationis linguae constabit etiam ex copia linguae —*input*— quam maxime frequenti, opulenta ac naturali, quam minime vero ficta ac simulata. Ex ea, ut antea diximus, *cognitio linguae* orietur quae est vera causa ac origo comparationis linguae. Quid igitur? Si principem locum *copia linguae data* tenet, quae sunt ergo beneficia ac commoda quae intentio in formam praestare poterit? At hic nulla est varietas inter studiosos, itaque intentio in formam doctrinaque grammaticae feruntur praestare, ut iam dictum est, illam *cognitionem de lingua*, quae explicita dicitur et enarrabilis, quae habetur adventicia, quippe quae extrinsecus proveniat, quae tandem viget et valet in omni usu linguae quae ex praeparato evenit, non in usu extemporali vel praesenti atque ad edendos nuntios iam confectos potius quam ad creandos.

Attamen qui in hac sunt opinione id contendunt quod de vinculo ac communitate inter *cognitionem linguae* et *cognitionem de lingua* alii negant, scilicet quod *cognitio de lingua* illi alteri *cognitioni linguae* aliquo modo coniuncta est: fautoribus huius opinionis societas inter utramque cognitionem *de lingua* et *linguae* intercedit atque altera cognitione cum altera vinculari potest. Sed quomodo, quando, ubi fit haec consociatio utriusque cognitionis, *linguae* et *de lingua*? Studiosi linguarum tres gradus statuerunt per quos cognitio *linguae* in mente humana gignitur ac nascitur (Ellis 2002: 171): *animadversio* novorum linguae speciminum (I); *collatio* eorum cum iis quae discentes antehac didicerunt (II); *conformatio* sive coniunctio sive commixtio sive confusio in unum atque idem cum novorum speciminum tunc antiquorum (III)<sup>16</sup>:

**Gradus I** → discentes animadvertisunt nova specimina linguae, scilicet novas formas sive structuras.

---

<sup>15</sup> Variae exercitationes ab studiosis propositae nomine tantum infra revocantur.

<sup>16</sup> *Noticing, comparing, integrating* (Ellis 2002: 171).

**Gradus II** → discentes ea nova linguae specimina cum veteribus speciminibus linguae conferunt quae iam tenebant, atque dilucidant utrum nova specimina congruant ac convenient iis quae extant et sunt eis praesto. Et gradum primum et secundum percurrunt discentes sibi consciī, id est, plena conscientia rei.

**Gradus III** → notitia novorum speciminum accommodatur atque disponitur in mente discentium, et cum prioribus speciminibus linguae miscetur atque confunditur: hoc modo *cognitio linguae* augetur et indesinenter reficitur. Hunc ultimum gradum assequuntur discentes omnino inscii atque ignari eius.

*Cognitio linguae* igitur, quae necessaria est ad usum linguae, quae neque doceri neque disci potest, sed ulro ac sponte comparari, initium habet in animadversione ac conscientia formarum (**gradus I**) atque in comparatione cum aliis speciminibus linguae iam comparatis (**gradus II**). In qua opera ac labore, quorum discentes participes sunt et plane sibi consciī, sane doctrina grammaticae largiter valet. Inde principium ac destinatum omnis doctrinae grammaticae eo tendere debet, ut faciat discentes certiores ac conscos novorum linguae speciminum quae in copia linguae data —id est, in testimoniis ac documentis quae discentibus apponuntur, in *input*— illabuntur. Intentio in formam igitur, in cuius numero doctrina grammaticae habetur, etsi comparationem linguae efficere non potest, ingenium humanum promptum ac paratum ad eam facit (Ellis 2002: 172; Ellis 2014: 11).

#### D. Intentio in formam est necessaria ad comparationem alterius linguae

Cum haberentur antehac intentio in formam et grammaticae condiciones sine quibus discentes non putabantur posse linguas discere, Van Patten (2015: 53) tamen incunctanter affirmat hanc necessitudinem inter intentionem in formam/grammaticam atque linguae comparationem demonstrari non posse, id est, non posse nos contendere comparationem linguae sine doctrina grammaticae non evenire. Quod ut verum demonstraretur, oporteret primum discentes arcessere qui tantam peritiam in altera lingua ostenderent quantam loquentes ipsi illius linguae: at consentiunt studiosi linguarum nostra aetate discentes alterius linguae raro posse aequiparari loquentibus eiusdem sermonis patrii; qui enim numquam desinunt *variationes* importare dissentaneas, non proprias ipsi linguae

in quam incumbunt. Deinde, etiam si tales discentes possent inveniri, oporteret demonstrare eorum accurationem atque peritiam linguae ex sola intentione in formam, ex studio grammaticae unice profectas esse: quod fieri non potest, ratione habita ceterorum linguae documentorum ac testimoniorum quibus utuntur discentes, quibus involvuntur ac exponuntur, quaeque sunt iis praesto in comparatione linguae.

### 3. SCHOLA LINGUAE LATINAЕ

Ex hac nostra recensione per studiosorum linguarum opiniones, hoc unum videtur posse coniectari, immo corroborari atque affirmari, quod non apud omnes studiosos satis constat intentionem in formam et grammaticam iuvare comparationem linguae, verum tamen liquet apud omnes *copiam linguae* abundantiter *datam —input— ipsam comparationem impellere*. Atque haec statuerunt studiosi, ne quempiam fugiat, non solum rem in suis scholis experti, non solum ex animi oculorumque contemplatione, sed multiplicibus atque variis pervestigationibus conclusis, multiformibus periculis inspectis atque descriptis.

Sin vero ad nostram provinciam animum nunc dirigimus, si scholas linguae Latinae nostras inspicimus atque contemplamur, id plerisque apparebit quod manifestum atque bene notum est: magnam operam (et praceptorum et discipulorum) esse in intentione in formam ac in grammatica collocatam, exiguum vero in *copia linguae —input— quae dissentibus praebetur*. Quod genus scholae repugnat consiliis studiosorum linguarum iisque vehementer contravenit. Quid igitur? Num tota via aberravimus? Num oleum et operam antehac perdidimus? Num laborem incassum impendimus? Frustrane sumus conati? Minime vero, nam si necquicquam egimus, non tamen iniussu, non compacto neque de industria quandoquidem nos, praceptores linguae Latinae in hac civitate, hoc proposito ad doctrinam linguae Latinae hactenus accedimus, ut id doceremus quod legibus postularetur, quod curriculis studiorum ut necessarium statueretur, id est<sup>17</sup>:

---

<sup>17</sup> Numeri quibus singulae metae insignuntur non pertinent ad documentum ipsum publice rogatum, sed ad utilitatem scribentis et legentium. Haec sunt vincula ad leges ipsas: [2007](#) et [2014](#).

*Lingua: forma et structura*  
 (Partes III et IV curriculi)

Curriculum studiorum 2007 (Real Decreto 1467/2007, de 2 de noviembre, por el que se establece la estructura del bachillerato y se fijan sus enseñanzas mínimas)	Curriculum studiorum 2014 (Real Decreto 1105/2014, de 26 de diciembre, por el que se establece el currículo básico de la Educación Secundaria Obligatoria y del Bachillerato)
<p><b>(1) Identificar</b> en textos latinos sencillos los elementos básicos de la morfología regular y de la sintaxis de la oración, apreciando variantes y coincidencias con otras lenguas conocidas.</p> <p><b>(2) Comparar</b> textos latinos sencillos con su traducción, identificando las estructuras gramaticales de la lengua latina y analizando su semejanza con las estructuras del castellano o de las lenguas habladas por el alumnado.</p> <p><b>(3) Traducir</b> oraciones y textos breves y sencillos, originales, adaptados o elaborados, con la mayor fidelidad posible.</p> <p><b>(4) Producir</b> frases sencillas escritas en latín mediante retroversión utilizando las estructuras propias de la lengua latina.</p>	<p><b>(5) Conocer, identificar y distinguir</b> los distintos formantes de las palabras.</p> <p><b>(6) Distinguir</b> los diferentes tipos de palabras a partir de su enunciado.</p> <p><b>(7) Comprender</b> el concepto de declinación/flexión verbal.</p> <p><b>(8) Conocer</b> las declinaciones, encuadrar las palabras dentro de la su declinación y declinarlas correctamente.</p> <p><b>(9) Conjugar</b> correctamente las formas verbales estudiadas.</p> <p><b>(10) Identificar</b> y relacionar elementos morfológicos, de la lengua latina que permitan el análisis y traducción de textos sencillos.</p> <p><b>(11) Conocer y analizar</b> las funciones de las palabras en la oración.</p> <p><b>(12) Conocer</b> los nombres de los <b>casos</b> latinos, identificarlos, las funciones que realizar en la oración, saber <b>traducir</b> los casos a la lengua materna de forma adecuada.</p> <p><b>(13) Reconocer y clasificar</b> los tipos de oración simple.</p> <p><b>(14) Distinguir</b> las oraciones simples de las compuestas.</p> <p><b>(15) Conocer</b> las funciones de las formas no personales: infinitivo y participio en las oraciones.</p> <p><b>(16) Identificar, distinguir y traducir</b> de forma correcta las construcciones de infinitivo y participio más frecuentes.</p> <p><b>(17) Identificar</b> y relacionar elementos sintácticos de la lengua latina que permitan el análisis y traducción de textos sencillos.</p>

*Textus*  
(Pars V curriculi)

	<p><b>(18)</b> Conocer y aplicar los conocimientos fonológicos, morfológicos, sintácticos y léxicos de la lengua latina para la <b>interpretación y traducción</b> de textos de dificultad progresiva.</p> <p><b>(19) Realizar</b> a través de una lectura comprensiva <b>análisis y comentario</b> del contenido y estructura de textos clásicos originales en latín o traducidos.</p>
--	---

Haec sunt decreta a legibus quae toti civitati Hispaniae annis 2007 atque 2015 rogatae sunt. Numeris distinctae atque spissioribus litteris scriptae metae sunt, sive fastigia quae discentes attingant, praeceptores doceant. Quae si attente inspicimus, id poterimus coniectare: nullum esse inter ea propositum quod non spectet ad formam linguae, id est, ad specimina grammaticae, quod non postulet illam *cognitionem de lingua* explicitam, adventiciam, enarrabilem atque ad quaestiones grammaticas solvendas aptam. *Cognitio linguae* vero, id est, ea quae per commercium ac consuetudinem cum lingua gignitur nullas habet partes in nostris curriculis: quae cognitio videbatur illabi in propositis (4), in quo discentes rogarunt emittere copiam linguae<sup>18</sup> atque (19) in quo facultas legendi<sup>19</sup> requiri videtur, sed utrumque propositum, si intentiore cura id consideramus, ad exercendam *cognitionem de lingua* vere spectat.

Propositis nostrorum studiorum sic constitutis, nullus nostrum dicetur in vitio, in culpa, in noxia fuisse si maiorem operam *cognitioni de lingua* dederit antehac, *cognitionem* vero *linguae* posthabuerit atque parvi fecerit. Neque quicquam gessit expedivitque quod ipsae leges institutionis non providerent, non deposcerent atque a docentibus requererent. Nam “multum ad rem pertinet”, ait Seneca, “quo proposito ad quamquam rem accedas” (*ad Luc.* 108, 24): si propositum ac

<sup>18</sup> ‘Copiam linguam emittere’ nobis volumus *output*, id est, quaevis testimonia linguae a dissentibus prolata.

<sup>19</sup> Quattuor sunt in summa facultates quibus peritia linguae apud studiosos constat: facultas audiendi ac legendi (sunt facultates quae ad intellegendam linguae spectant), facultas scribendi ac loquendi (sunt facultates quae ad creandam lingua spectant). In his facultatibus exercendis *cognitio linguae*, haud *de lingua*, primas habet.

destinatum erat grammaticam ad amussim inspicere, nulla methodus, nulla ratio aptior videbatur neque accommodatior quam ea per quam cognitio *de lingua* abundanter praestaretur, id est, illa methodus trallaticia quae appellata est *grammatica-versio*<sup>20</sup>. Recte igitur monet Seneca: primum sunt proposita constituenda, deinde vero via ad ea proposita sternenda.

Sed hocine vere factum est apud nos? Id est, intento animo incubitum est in rem ipsam —scilicet, in fines institutionis linguae Latinae—, deinde constituta sunt proposita, postremo vero viae stratae quae ad ea proposita ducerent? Nam curricula studiorum non videntur pro re destinata esse constituta, sed pro methodo adhibita: id est, curricula studiorum in nostris linguis, scilicet metae atque destinata dissentium et docentium non videntur esse statutae nisi post methodos ipsas contemplatas, nisi postquam examinati sunt scopi quos per tales methodos rationesque discentes linguarum attingere possent. Quod omnibus ut dissentaneum atque rationi repugnans apparebit: nam quasi una esset methodus praceptoribus praesto, quasi via atque ratio ad discendas linguas una exstaret unica ac sola, ea destinata nobis sunt imposita quae nisi per methodum trallaticiam, per *cognitionem de lingua*, peti non possunt. Nonne erat magis naturae ac rationi consentaneum et conveniens primum consilia constituere —*quid volumus nostros discipulos consequi?*—, deinde vias aperire ac munire —*quae est methodus ad illam rem aptissima?*— ut talia consilia expeterentur? Quid temporis, quid considerationis tributum est institutioni linguarum antiquarum?

→ Ratio **naturae** consentanea: 1) **destinata** perpendere atque constituere; 2) **methodum** seligere.

→ Ratio quae apud nos **adhibita** est: 1) **methodum** unam contemplari; 2) **destinata** pro ea methodo constituere.

Quae ratio apud nos adhibita quam inconsiderata, quam praeceps atque nullius consilii sit, liquido patet. Nam temerarii est de optimo genere docendi loqui, sed consulti atque ad communem utilitatem spectantis de apto genere docendi verba facere (Omaggio Hadley 2000: 52; Amarante 2013: 68). Quae beneficia, qui profectus ex singulis rationibus capi possint non est quod liceat magistris ignorare (Ellis

<sup>20</sup> Hispanice “gramática-traducción”, Anglice “grammar-translation”.

2009: 1). Inter nos vero contrario prorsus modo res progredi videntur et nunc, quoniam plures sunt in dies praeceptrores qui maiora sibi suisque discipulis expetiverunt; quoniam frequentissimi ac celeberrimi sunt qui noluerunt has nostras linguis ut mortuas ac derelictas iacere; quoniam est multitudo eorum qui non tulerunt suos discipulos psitachorum more paradigmata linguae inaniter repetere ideoque novis viis uti cooperunt ad *cognitionem linguae* quoque spectantes, nunc cum haec viderunt moderatores institutionis, ideo cooperunt curricula leviter inmutare atque novos scopos statuere dissentibus linguarum classicarum.

Potestas institutionis, ut omnibus est notum, est in nostra civitate Hispanica penes gubernacula regionaria, id est, est potestas quae regionatim distribuitur atque exercetur. Itaque eaedem leges institutionis quae supra commemoratae sunt possunt aliter transferri, sive aptari, id est: illa proposita communia leviter commutari possunt a gubernatoribus singularum regionum, sive augeri deminuive, sive alio modo constitui. Quod videtur accidisse saltem in legibus Valentiniis quae ad institutionem linguae Latinae pertinent, in quibus duo proposita luculentissima addita sunt anno 2015<sup>21</sup>:

(1) Realizar la **lectura comprensiva** de textos en latín, sencillos y de dificultad graduada, utilizando los conocimientos morfológicos, sintácticos y léxicos adquiridos o **mecanismos de inferencia lógica**, para **captar el sentido global** del texto y profundizar en su interpretación o traducción.

(2) **Crear** textos sencillos en latín, **utilizando** las estructuras y el léxico aprendidos para adquirir un mayor **dominio** de la lengua y mejorar las **destrezas comunicativas**.

Apud nos enim tantummodo per hoc decretum regionale, non antea neque prius, prima mentio inmittitur quae ad significatum verborum —“captar el sentido global del texto”— pertinet; primum hic de dominatu linguae —“dominio de la lengua”— verbum iniicitur; de facultatibus linguae —“destrezas comunicativas”— a primo hic immissa est commemoratio. Quibus propositis, quibus scopis *cognitio de lingua* nullam affert vim neque utilitatem; quae destinata ut exsequantur discentes *cognitio linguae* unice valet.

---

<sup>21</sup> Haec lex anno 2015 rogatur eo proposito, ut lex universalis a gubernaculo regni rogata usui ac consuetudini ipsius regionis Valentiae accommodetur.

#### 4. IN VIA CERTA PROGREDI

Ne metus animis legentium obiiciatur, nam non est scribenti tantum studium novarum rerum, tanta voluntas rerum evertendarum ut credat posse mores antiquos una plaga exsui, uno ictu commutari, doctrinam grammaticae igitur ab scholis Latinis funditus evelli atque radicibus extirpari. Neque res possunt tanta vi dissolvi, neque reapse debent idque tribus de causis quarum duas priores pro praecipuis ac certissimis hic habuimus, tertiam vero antiquiorem et gratiorem facimus a voluptate potius quam a ratione profectam neque ideo omittendam:

— primum, quod pleraque proposita quae nostris curriculis studiorum continentur, possunt tantum produci ac peferci a discentibus qui in formam linguae incumbunt, id est, qui operam dant cognitioni *de lingua*. Hanc cognitionem *de lingua* omittere ac praeterire esset non solum detimento discentium sed dedecori docentium qui legibus institutionis usque tenentur;

— deinde, quod non est consensus inter studiosos de potestate huius cognitionis quae dicitur *de lingua*. Quae quidem, etsi nulli est apud alios emolumento, ab aliis, ut vidimus, ut commoda ac discentibus benefica etiam habetur.

— postremo, quod ex cognitione *de lingua* atque ex eius doctrina capiunt praceptores quandam voluptatem haud spernendam. Ipsa grammatica enim gratiam sibi conciliat singularem apud omnes qui eam docent, quibus est non solum materiae studii praecipuae sed etiam iucunditati (Patrick 2011: 1-4). Qui affectus plurimum valent in qualibet schola de qualibet re ad studium ipsorum discentium concitandum.

Auditis opiniobus studiosorum atque curriculis studiorum, quae nunc sunt, attente examinatis, hanc conjecturam nobis facere possumus: cum non liceat intentionem in formam, id est, doctrinam grammaticae et cognitionem *de lingua* omnino omittere ac posthabere, tamen cautio debet esse praceptoribus, ne doctrina grammaticae totius scholae potiatur eamque teneat. Nam mens studiosorum eadem manet in hac re: ad usum linguae extemporalem —ad quem non solum facultas dicendi pertinet sed etiam facultas expedite legendi— conductit *cognitio linguae*, haud *de lingua*. Itaque tempus ac spatium in schola sunt tribuenda *copiae linguae datae*, id est, documentis ac testimoniis linguae —sive scriptis, sive edictis ac recitatis— cum veris ac opportunis tum iucundis

ac gratis discentium ac talibus quae valeant eorum studium suscitare<sup>22</sup>, quae denique cognitionem *linguae* informare possint.

At nullum fugiet quam sit arduum ac difficile, quanti sit laboris ac operae utrumque principium in schola Latina aequa ponderare ac suum locum et tempus cuique dare. Ad utilitatem ac opportunitatem ipsius grammaticae quod spectat —id est, quem ad modum possint discentes summum lucrum ac commodum ex intentione in formam atque ex doctrina grammaticae percipere itaque plurimam cognitionem *de lingua* acquirere— suppeditur ab studiosis linguarum maxima vis exercitationum, quae non solum in destinatis differunt —in eo quod ab discentibus requiritur— sed quoque in ipsa specie exercitationum. Quae ut explicitur apertius, cum non sit hic locus neque copia, tamen cum eas praterire non condebeat, haec tabella inseritur ubi exercitamenta quae magis in pretio apud studiosos esse videntur breviter commemorantur:

Pro destinata re exercitationes bifariam dividuntur inter ↓			
Exercitationes quae ad copiam linguae emittendam contendunt ( <i>output</i> : discipuli rogantur ut linguam creent):		Exercitationes quae ad copiam linguae datum contendunt ( <i>input</i> : discipuli rogantur ut linguam intelligent)	
<b>Exercitationes quae formam linguae unice requirunt: <i>Nudae exercitationes</i><sup>23</sup></b>	<b>Exercitationes quae significatum quoque requirunt atque commercium postulant inter participes scholae: <i>Negotia expedienda</i><sup>24</sup></b>	<b>Exercitationes quae animadversionem<sup>25</sup> formarum intendunt: <i>Conscientiae formarum stimulationis</i><sup>26</sup></b>	<b>Exercitationes quae digestionem intimam formarum intendunt: <i>Doctrina ordinationis</i><sup>27</sup></b>

<sup>22</sup> Hae sunt enim tres condiciones quas debent servare ea documenta linguae (*input*) ut optima habeantur: ut verum exemplar linguae sit; ut sit aptum gradui discentium; ut sit eis iucundum (Krashen 1982: 62).

Certe has exercitationes tam varias multiformesque licet proponant studiosi linguarum utilitatem ac commodum earum in scholis experti, sunt vero ignotae in scholis linguarum antiquarum atque praeter *nudas exercitationes* easque quae ad *animadversionem* formarum spectant plane inusitatae atque inauditae. Sed quoniam earum opportunitatem habent studiosi cognitam atque compertam, est nobis in consiliis futuris fundamenta rei enarrare atque exempla proponere quae possint diversa specimina exercitiorum manifeste declarare. Nunc vero facile apparebit legentibus eas omnes exercitationes unum principium servare atque in loco communi habere: quod lingua altera, scilicet ea in quam discentes incumbunt, ad quam animum applicant, omnibus locis adest, eius usus perennis continuatur atque in schola usque adhibetur. Proinde, etsi tanta vi exercitiorum caremus, etsi eorum classes ac specimina nos plerumque fugiunt neque ea valemus in exercitationem linguae Latinae transferre, hoc unum constanter atque diligenter persequamur, ut doctrinam grammaticae in nostris scholis Latine tradere contendamus.

Hic erit modus, haec ratio atque via per quam intentio in formam par *copiae linguae datae* reddi poterit, id est, ut simul cum doctrina grammaticae praebeatur discentibus in scholis maxima vis verae linguae et frequentissima testimonia linguae cum enarrata tum scripta. Quo consilio facto duos apres uno in saltu capere poterimus, scilicet duo emolumenta per unum principium discentibus afferre quandoquidem:

— doctrina grammaticae, necessaria in nostris curriculis studiorum, benefica ac commoda secundum studiosos, non omittetur;

---

<sup>23</sup> ‘Práctica de producción’ (Ellis 2005: 17) sive ‘actividad de práctica controlada’ (Hispanice; <[https://cvc.cervantes.es/ensenanza/biblioteca\\_ele/diccionario/ejercicioestructural.htm](https://cvc.cervantes.es/ensenanza/biblioteca_ele/diccionario/ejercicioestructural.htm)>), ‘drilling’ (Anglice). Quas exercitationes ‘nudas’ appellavimus quippe quae sint indicii (contextu) orbae neque in veris colloquiis sive in condicionibus sermonis vero proximis eveniant. Has exercitationes fovet Dekeyser (2007: 98 et 105) ut necessarias ad cognitionem de linguae acquirendam.

<sup>24</sup> ‘Enfoque por tareas’, aut ‘TBLT’ (= ‘Task Based Language Teaching’). Hoc genus exercitationis Ellis (2014: 13) proponit ut eloquentia simul cum accuratione linguae exerceatur.

<sup>25</sup> ‘Captación’, aut Anglice ‘noticing’ (Ellis 2005: 49).

<sup>26</sup> ‘Concienciación lingüística’ aut Anglice ‘consciousness raising’ (Ellis 2005: 52).

<sup>27</sup> ‘Processing instruction’ Anglice (Benati 2016: 69), aut ‘instrucción de procesamiento’ Hispanice (Llopis 2007: 101).

— discentes expositi erunt ad frequentissimam copiam linguae verae, quae non solum constabit ex regulis grammaticae Latine enarratis sed ex explanationibus ac sermone praceptorum.

Haec beneficia poterimus coronare ac ditare multimodis exercitationibus ad proposita nostra aptis et opportunis, quo sane omnes exercitationes supra relatae tendunt. Sed fundamentum rei in usu praecipuo alterius linguae atque in desuetudine sermonis patrii usquequaque constabit (Krashen 1982: 127; Patrick 2011: 9).

## 5. VIAE IMMUNITAE ATQUE INTERCLUSAE STERNENDAE ET APERIENDAE: EXEMPLA

Hoc fundamentum vero, hoc consilium quod fecimus de lingua altera scilicet Latina praecipue adhibenda eaque non solum pro aptissima nostris sermonibus scholasticis habenda, non solum pro opportunissima nostris libris servanda, sed etiam pro commodissima ad doctrinam grammaticae adoptanda, etsi via certior atque ad nostra destinata directior appareat, etsi in experiendo optabilior, tamen suas habet salebras atque asperitates. Inter quas una est quae maxime obstat docentibus quippe insignis atque ad fundamentum maxime pertinens: quod non sint nobis exempla huius rei praesto; quod usus et verba ad grammaticam spectantia nullus tradiderit nobis Latine; quod non sint in hac via praecedentium vestigia quae nos conducant ac ferant.

Sed vere dixit Terentius “nullumst iam dictum quod non dictum sit prius” (*Eun.* 41) atque etiam in hac provincia quam nos nunc exploramus alii fuerunt qui viam nobis prius concinnarint: exemplum in hac re illustre ipse Donatus numeratur, qui quidem in sua *Arte grammatica minore* partes orationis omnes descriptsit earumque genera, casus, modos ac mutationes articulatim explicuit. Quae omnia sunt excerpta ad usum docentium in capitulo XXXV libri *Familiae Romanae*, quae quidem pro dignissimis rudimentis scholarum grammaticarum iure habebuntur. Alia vero abscondita manent atque altius sunt percestiganda, ut exempla quae libris Varronis *De lingua Latina* continentur, quaeque pro aptissima habuimus ad origines<sup>28</sup> vocabulorum Latinorum Latine tradendas. Nam causa et origo verborum inter destinata nostri curriculi numerantur (Real Decreto 1104/2014), praesertim is duobus destinatis:

---

<sup>28</sup> *Origo verborum* valet apud Varronem ‘etymologia’.

*Vocabula*  
(pars VI curriculi)

- |     |  |
|-----|--|
| (1) | Realiza <b>evoluciones</b> de términos latinos a distintas lenguas romances aplicando las reglas fonéticas de evolución. |
| (2) | Relaciona distintas palabras de la misma familia <b>etimológica</b> o semántica.   |

Idem scopus impensius proponitur in decretis regionalibus, ut nunc in regione Valentina ad cursum ultimum scholae secundariae:

**Derivar en latín** verbos latinos y en la lengua propia palabras evolucionadas de esas bases léxicas, utilizando los diversos prefijos latinos y aplicando las reglas de evolución para profundizar en la semántica de las palabras y aumentar el caudal léxico.

Hoc destinato proposito, locus nobis aperitur non solum grammaticae tradendae —etsi ad compositionem vocabulorum hic, magis quam ad formam sive structuram pertinens— sed quoque ipsius linguae Latinae in explanationibus adhibendae. Quem ad finem hic tres exercitationes suppeditantur quorum vocabula praecipua ab ipso Varrone proveniunt atque ab suis explanationibus de originibus vocabulorum. Singulae exercitationes binis partibus constant:

— in priore parte vocabula necessaria atque ad rem potissimum pertinentia —vocabula *technica*— afferuntur: hoc est fundamentum ad alteram partem, in qua destinatum est exercere. Vocabula ‘*technica*’ ***crassioribus litteris et inclinatis*** in nostris exemplis insigniuntur.

— in posteriore parte exempla afferuntur exercitatae rei.

Cum in singulis exercitationibus sint vocabula ‘*technica*’ praebenda, ea dissentibus diversis modis dari possunt, sive per ludos —nos enim *iusculo litterarum*<sup>29</sup> usae sumus— sive per recitationes magna voce prolatas ex quibus dissentibus vocabula ‘venentur’ atque in spatia inserantur. Docentibus erit quoque statuere numerum vocabulorum quae a dissentibus quaeri debent.

---

<sup>29</sup> ‘Sopa de letras’, ‘alphabet soup’.

## I. EXERCITATIO: ORIGO VOCABULORUM

### (A) FUNDAMENTUM (*vocabula technica*)

[Enuntiatus propositus] Fragmentum ornate vocabulis opportunis:

- In scholā linguae Latinae oportet nonnumquam **originem** sive causam verborum **repetere, expedire, indagare, scrutari**.
- Duo sunt genera vocabulorum secundum originem: vocabula **vernacula**, aut propria, id est, domi nata; vocabula aliena aut **peregrina** id est, ex aliis linguis in Latinum assumpta.
- Cum vocabula non sunt proprie Latina, tunc dici potest: ‘hoc vocabulum **radices** agit in lingua Oscam / Graecam / Tuscam…’
- Inter eas linguas, e quibus vocabula Latina **effluere** possunt, eminent lingua Graeca. Originem Graecam vocabulorum Graecorum possumus his verbis appellare:
  - **Graecis vocabulis uti**
  - **A Graecis venit**
  - **E Graecia succedit**
  - **Origo Graeca est**
  - **A Graeco verbo est**
  - **Graece / graecanice** dicitur (sunt verba **graecanica**)
    - Origines verborum non semper patent, et partim **apertae** sunt, partim **obscureae**. De nonnullis nominibus non una explanatio remansit sed multae. Tunc dici potest: ‘de hoc nomine **historia anceps**’.
    - Significatum verborum sic indicamus: (x) **significat** (x); (x) **valet** (x); (x) **idem valet atque** (latine, hispanice, anglice)…

### (B) EXERCITIUM

[Enuntiatus propositus] Sequimini exemplum atque originem verborum expedite.

 **Familia Romana, capitulum V, v. 30-34:**

Etiam **peristylum** magnum et pulchrum in **villa** est. In **villis** Graecis et Romanis magna et pulchra **peristyia** sunt. Estne impluvium in **peristylo**? Id non in **peristylo**, sed in **atrio** est. In **peristylo** parvus **hortus** est.

### QUAE EST ORIGO VERBI PERISTYLI?

Verbum ‘peristylum’ non **vernaculum** sed **alienum** id est, **peregrinum**. **Origo** huius verbi est **Graeca**. In vocabulo ‘peristylo’, ‘peri’ **valet** ‘circum’, ac ‘stylus’ **significat** ‘columnam’. ‘Peristylum’ est pars villae Romanae quae columnis circumdatur.

## II. EXERCITATIO: DECLINATIO ET COMPOSITIO

### (A) FUNDAMENTUM (*vocabula technica*)

[Enuntiatus propositus] Fragmentum ornate vocabulis opportunis:

- Inter verba cuiusvis linguae est genus verborum *fecundum*, id est, quod ex se dispariles formas *parit* (ut *facere*, *lego*) et genus verborum *sterile* id est, quod ex se parit nihil (*iam*, *et*, *sine*).
- Vocabula Latina propria aut vernacula in duas classes dividii possunt: vocabula *primigenia*, id est, *simplicia*, et vocabula *propagata*, id est, quae ab alio vocabulo oriuntur aut *propagantur*.
- Vocabula simplicia sunt ut *fons*, vocabula propagata ut *rivus*.
- Vocabula propagata possunt esse aut *declinata*, id est, ab uno verbo simplici oriuntur, litteris additis in primo, in medio aut in extremo verbo, aut *composita*, id est, a duobus verbis conclusa.
- *Societas* sive *cognatio* inter vocabula sic dici potest:
  - (x) *nominatum* (sive *vocitatum*, *dictum*, *appellatum*, *cognominatum*, *fictum*) est...
  - A + *gerundium*: *facilis a faciendo dictum*
  - A + *infinitivus*: *lectio a legere fictum*
  - E + *ablativus*: *liquidus e liquore vocitatum*
  - Sunt vocabula eiusdem *stirpis*.
- Fecundissimum est genus illorum verborum quae per *praeverbia* componuntur, ita ut e verbo primigenio nova verba oriuntur *additis*, *antepositis* aut *coniunctis praeverbiis*.

### (B)

#### EXERCITIUM I

[Enuntiatus propositus] Originem horum verborum expedite: *aureus*, *tibicen*, *aequinoctium*, *paeninsula*, *pontifex*, *magnificus*, *maleficium*, *agricola*, *inermis*.

*Paeninsula*: vocabulum est *propagatum* et *compositum* a duobus verbis *primigeniis*, ‘paene’ et ‘insula’.

#### EXERCITIUM II

[Enuntiatus propositus] Componite verba *coniunctis praeverbiis*: *facere*, *agere*, *claudere*

### III. EXERCITATIO: MUTATIONES LITTERARUM

#### (A) FUNDAMENTUM (*vocabula technica*)

[Enuntiatus propositus] Fragmentum ornate vocabulis opportunis:

- In compositione et declinatione verborum litterae saepe **commoventur**.
- Verba declinata et composita litteras **mittunt** aut **assumunt** aut **mutant**.
  - **Demptio** litterarum sic potest dici:
  - Demptum est ‘x’, sive **detratum** sive **extritum** sive **exclusum**.
    - **Additio** litterarum sic dici potest:
    - **Additum** est ‘x’.
    - **Commutatio** litterarum sic dici potest:
    - Littera **commutata**;
      - Commutato (x) **pro** (x);
      - (x) **ex** (x) commutato;
      - (x) **in** (x) **abit**;
      - (x) **facit** (x).

#### (B) EXERCITIUM

[Enuntiatus propositus] Originem et commutationes horum vocabulorum indagare secundum exemplum:

**ADDERE:** Non est vocabulum simplex, sed propagatum, immo declinatum et fictum a dando, anteposito praeverbio *ad*. In hac declinatione verbum ‘dare’ mutat litteram ‘A’ (dare), quae facit ‘E’ (addere).

Item indagare verba *corripere / suspicere / concludere*

### EPILOGUS

Sermones Latini, colloquia, ‘activae’, quae dicuntur, exercitaciones, auditiones Latinae, scaenae aliaque incepta quae summatim ad usum linguae potius spectabant quam ad formam eius, cum fuerint hactenus voluntati praceptorum obnoxia atque pro studio illorum in scholam linguae Latinae sive plus minus accita ac usitata sive plus minus reiecta ac recusata, sunt iam in quibusdam regionibus nostrae civitatis pro necessaria habenda, quandoquidem curricula studiorum metas nostrorum studiorum ita definiunt atque statuunt ut usus linguae eius doctrinam comitetur. Quae cum ita sint, hoc est denique principium secundum quod discentes qui nunc sunt scholas suas informare ac disponere debent: quae incepta scholarum ad doctrinam linguae pertinebunt —scilicet ad *cognitionem de lingua*—, quae autem ad usum eius spectabunt —scilicet ad *cognitionem linguae*. His in paginis

unum exemplum voluimus monstrare quod ad societatem utriusque rei tendere potest cum doctrinae tum usus.

#### INDEX LIBRORUM

ALCALDE-DIOSDADO, A. (2000), “La necesidad de renovación didáctica de las lenguas clásicas. Una nueva propuesta metodológica”, *Estudios Clásicos* 118, 95-131.

AMARANTE, J. (2013), “O profesor e o método: papéis, diálogos e dilemas”, *Estudos lingüísticos e literários* 48, 62-90.

BENATI, A. (2016), “Input manipulation, enhancement and processing: theoretical views and empirical research”, *Studies in second language learning and teaching* 6, 65-88.

CARBONELL, S. (2010), “La crisis del griego antiguo y los métodos antidepresivos”, *Estudios Clásicos* 137, 85-95.

CARLON, J. (2013), “The implications of SLA research for latin pedagogy: modernizing latin instruction and securing its place in Curricula”, *Teaching Classical Languages* 4/2, 106-122.

DEKEYSER, R. (2007), “Skill acquisition theory”, apud B. Van Patten et J. Williams (coord.), *Theories in Second Language Acquisition. An introduction*, Routledge, New York, 97-113.

ELLIS, R. (2002), “Grammar teaching: practice or consciousness raising?”, apud J. Richards et W. Renandya (coord.), *Methodology in language teaching*, Cambridge University Press, Cambridge, 167-174.

ELLIS, R. (2005), *La adquisición de segundas lenguas en un contexto de enseñanza. Análisis de las investigaciones existentes*, trans. a G. Abio, J. Sánchez et A. Yagüe, Ministry of Education, New Zealand.

ELLIS, R. (2009), *Implicit and Explicit Knowledge in Second Language Learning, Testing and Teaching*, Channel View Publications, Bristol.

ELLIS, R. (2014), “Grammar Teaching for Language Learning”, *Babylonia: the journal of language teaching and learning* 2, 210-14.

ELLIS, R. et NATSUKO, S. (2014), *Exploring language pedagogy through Second Language Acquisition research*, Routledge, London.

GASS, S. et SELINKER, L., *Second Language Acquisition: an introductory course*, Routledge, New York.

KRASHEN, S. (1982), *Principles and practice in second language acquisition*, Pergamon, New York.

LLOPIS, R. (2007), “Procesamiento del *input* y mejora en el *output* para el aprendizaje de segundas lenguas”, *Revista Nebrija* 1, 100-123.

NEUPANNE, M. (2009), “Processing Instruction: An Input Based Approach for Teaching Grammar”, *Journal of Nelta* 14 (1-2), 111-118.

OMAGGIO-HADLEY, A. (2000), *Teaching language in context*, Heinle & Heinle, Boston.

ORTEGA, L. (2013), *Understanding second language acquisition*, Routledge, Boston-New York.

PATRICK, R. (2011), “Latin is not different” (orantiuncula habita in conventu *SALVI Board Summit*: <[http://www.latin.org/resources/documents/Latin%20is%20Not%20Different%20\[Patrick%202011\].pdf](http://www.latin.org/resources/documents/Latin%20is%20Not%20Different%20[Patrick%202011].pdf)>).

PIENEMANN, M. (2007), “Processability theory”, apud B. Van Patten et J. Williams (coord.), *Theories in Second Language Acquisition. An introduction*, Routledge, New York, 137-154.

TAYLOR, D. J. (1974), *Declinatio: a study of the linguistic theory of Marcus Terentius Varro*. Jonh Benjamin Publishing Company, Amsterdam.

VAN PATTEN, B. ET BENATI, A. (2015), *Key Terms in Second Language Acquisition*, Bloomsbury, New York.

